

et potestat. parochi par. 1. cap. 8. n. 73. et alii.

Ordinarii possunt concedere parochis licentiam abessendi ad bimestre tempus ob quaecumque justam causam, veluti recreationis aut visendi amicos et hujusmodi. *Ultra bimestre autem non possunt illam concedere, nisi ob aliquam gravem causam.* Colligitur clare ex Conc. Trid. c. sess. 23. de Ref. cap. 1. ibi: „Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.“ *Gracias* part. 3. de beneficiis cap. 1. n. 22., *Fagnan.* in cit. cap.: *Relatum* n. 21. et 29., *Barbosa* de Offic. et potest. parochi l. c. n. 58., 59. et seq., *Reiffenstuel* l. c. n. 77. et alii passim.

*Graves autem causae*, ob quas potest concedi parochis licentia abessendi ultra bimestre, sunt praecipue quatuor assignatae a Conc. Trid. l. c. scilicet: Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. *Barbosa* de Officio et potest. parochi l. c. a n. 45., *La Croix* lib. 3. part. 1. n. 747. et alii passim.

*Christiana charitas intelligitur*, cum quis abest ob proximorum utilitatem et ad adjuvandam aliquam Ecclesiam in magno periculo haeresis versantem, ad dirimendas lites, controversias et odia. Dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra ordinem caritatis. *Sanctarell.* variar. resolut. q. 2. n. 1., *Molfesius* in summa Theolog. moral. tract. 6. cap. 11. n. 29., *Azorius* part. 2. lib. 6. cap. 4., *Barbosa* de Offic. et potestat. parochi l. c. n. 47. et de Offic. et potestat. Episcopi part. 3. allegat. 53. n. 6. et in Conc. Trid. l. c. n. 7., *La Croix* l. c. n. 747.

*Urgens necessitas intelligitur*, cum quis abest ob morbum curandum vel

propter aliquam persecutionem, bellum, hostium incursus, pestem saevientem, aëris intemperiem vel ob inimicitias, aut ob principis et populi furorem declinandum. Dummodo tamen non immineat detrimentum ovium in spiritualibus; nam si illud immineret, ex nulla causa posset abesse, quia bonus pastor animam suam pro ovibus ponit, ut habetur Joan. 10. Ita citati doctores et alii.

*Debita obedientia intelligitur*, cum quis abest ex mandato Papae vel ut occupetur in servitio Sedis Apostolicae et Reipublicae. Sic citati doctores et alii.

*Evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas intelligitur*, cum quis abest ad Synodum generalem vel provinciale aut dioecesanam rite et legitime vocatus. Vel cum quis abest pro tuendis juribus suae Ecclesiae aut pro obtinenda a Superiore reformatione in variis emergentibus vel ut, id exigente Reipublicae utilitate, fungatur legatione apud aliquem saecularem principem. Ita citati doctores et alii.

*Parochis non licet causa studiorum a suis parochialibus Ecclesiis* post Conc. Trident. abesse, nec Episcopus licentias ad id concedere potest, illaque, si concessae fuerint, non suffragantur. S. C. C. sub die 8. Maii 1595 apud *Garz.* l. c. n. 1.

#### e) Locus resid.

Vd.: *Vicar foran.* (resid.)

#### Pontis Curvi.

In duas regiones dividitur Urbs Pontis Curvi, superior nuncupatur Civita, inferior Pastino; duabus viis aditur superior, altera commodiori, sed longiori, quae vocatur de Ferrari, altera breviori, sed difficiliori, quae dicitur de Gradini. In inferiori regione

Pastino duae sunt parochiales Ecclesiae, altera s. Blasii, altera s. Nicolai, Sacramentum tamen Sanctissimae Eucharistiae in sola parochiali s. Nicolai causa commoditatis utriusque parochiae retinetur. Parochus est s. Blasii Bernardinus Lucernarius, qui patru sequutus exemplum domum incolit paternam sitam in extrema regione superiori Civita, qua parte imminet inferiori, itaut paucis passibus juxta mensurationem a Peritis factam distet a parochiali Ecclesia. Indixit tamen ei Episcopus, ut paternam domum desereret et intra parochiae suae limites habitaret. Venit ille ad hoc sacrum tribunal oblati precibus, contendens episcopale decretum exequi non posse, quod nulla parochialis domus esset nullique essent parochiae limites. Auditus Episcopus respondit limites esse parochiae neque futuram domum parochialem, si eam Lucernarius non alienasset, ne in illa habitare cogeretur, eamque amplioem et commodiorem facile a parcho reddi potuisse uberibus parochiae redditibus, nisi magno parochianorum detrimento maluisset in propria domo habitare, ex qua praesto esse nequit nocturno praesertim tempore parochianis suis tum ob loci distantiam tum ob difficultatem viarum. Cum haec scripsisset Episcopus et precibus Lucernarii nullae adjunctae fuissent probationes, rescriptum iis fuit: Lectum quoad instantiam et scribatur Episcopo, ut, qua facultate alienaverit Orator domum parochialem, Sacrae referat Congregationi.

Post hoc rescriptum novas Lucernarius obtulit preces pluribus munitas probationibus, quibus veritatem eorum, quae asseruerat, et insubsistentiam eorum, quae narrabat Episcopus, comprobabat. His novis precibus rescriptum fuit: Expectetur relatio Episcopi: sed urgente promotore fiscali et con-

tra negante Lucernario parochiam illam certos habere limites, decretum fuit: parochum teneri ad residentiam intra limites parochiales, quatenus tamen parochia habeat limites designatos. Advenit altera epistola Episcopi, in qua fatebatur domum illam, quam dixerat, parochialem episcopali auctoritate in emphyteusim concessam fuisse, sed sine ulla Ecclesiae utilitate. Cum res igitur ambigua videretur, satius visum fuit, ut iudicio Eminentissimorum Patrum subiceretur, causam describendo in folio. Promotor fiscalis narrat utrasque Urbis illius regiones immuni intervallo distare: Viam brevioram de Gradini asperam et difficillimam, immo periculosam esse nocturno praesertim tempore. Contra Lucernarius probat utrasque regiones contiguas esse, nec, nisi brevissimo spatio ad ornatum civitatis relicto, divisas esse: Viam de Gradini facilem esse hominibus sarcinisque, sive die sive nocte. Promotor fiscalis, qui certos esse limites parochiae s. Blasii asserebat, agnoscit tandem non habere limites constitutos, sed tandem domos quinquaginta duas inter se disitas commixtasque cum aliis domibus, quae alienis parochis subjectae sunt: substinet tamen parochiam s. Blasii, ut et aliam s. Nicolai circumscriptam limitibus dicendam esse, licet haec duae sint inter se consulae, quia utraque parochianos habeat in regione del Pastino, sicut aliae parochiae regionis di civita in ea regione parochianos habent, nullos in inferiori regione Pastino. Contra Lucernarius, qui parochos, quotquot hactenus fuerunt et praecipue cum Forenses essent, ubi eis libuit, habitasse probat, eos vero, qui cives erant, in patriis laribus sitis in superiori regione Civita, ut longe magis id ipsi concedendum sit, qui domum habet proximam Ecclesiae suae parochiali.



Contendit promotor fiscalis domum in emphyteusim datam anno 1736 cuidam Pignantio parochialem fuisse et non potuisse alienari sola Episcopi auctoritate, cui ignota fuerit qualitas parochialis, et sine beneplacito apostolico, atque ex his concludit cogendum esse parochum, ut intra parochiae suae fines resideat. Contra Lucernarius negat domum illam habitam unquam fuisse pro parochiali, cum numquam eam incoluerint antecedentes parochi neque incolere potuerint, cum et summe humilis et angustissima esset, itaut satius visum fuerit eam in emphyteusim concedere, ut aliquam ab ea perciperet parochia utilitatem: neque ampliari a parochio ex redditibus parochiae potuisse, qui tenues sint, neque putandum esse Episcopum auctoritatem suam praestitisse alienationi, si casa illa, non domus, parochialis fuisset. Videant igitur Emi Patres in his facti controversiis, qua ratione expediendum sit dubium:

*An Abbati Curato Lucernarilio ceat habitare in Domo Paterna sita in regione Civita in casu?*

S. C. resp.: Negative.

Die 20. Decbr. 1755 et 7. Febr. 1756.

f) Mutatio loci residentiae.

Tarracconen.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 23. De Ref.)

Clar. mem. Cardinalis Cervantes Archiepiscopus Tarracconensis, cum parochialis Ecclesia in Oppido de *Tamarit* jam pridem erecta longe disitis haberet limites, atque a locis nuncupatis *de la Riera et Virgiliti*, ei subjectis medio flumine Gaja interscinderetur, adeout illius rector non posset spiritualibus populi necessitatibus prompte accurrere, sub annum 1573, ita postulantibus dictorum locorum In-

colis, decrevit, ut nova Ecclesia una cum baptismali Fonte et Domo in Pago de la Riera utpote commodiore deberet construi, eaque erecta deputaretur Vicarius, qui ibidem residens animarum curam exerceret.

Ad tramites hujus decreti memoratus Vicarius, praevia nominatione dactorum Incolarum et consensu rectoris parochiae de Tamarit consuevit ab Archiepiscopo ad curam animarum in praefata nova Ecclesia exercendam deputari, eoque in Pago de la Riera residens spirituali animarum saluti incumbere; Rector vero Ecclesiae de Tamarit parochialem domum inhabitans Sacramenta hominibus commorantibus semper administravit caeteraque parochialia munia per se ipsum obivit.

Verum quia Praefecti communitatis ejusdem Oppidi de Tamarit Felicem Perez modernum parochum detrectantem ibi ob aëris intemperiem residere contententemque, se posse, relicto apud parochialem Ecclesiam capellano, qui ejus vices quoad exercitium curae animarum suppleat, in loco de la Riera moram trahere, in iudicium vocarunt coram Ordinario Tarracconensi et ab eo decretum obtinere, quo tributa sibi fuit manutentio in possessione habendi parochum, qui parochialem domum inhabitando resideret in d. Villa de Tamarit, quique per se ipsum Sacramenta administrare teneretur, ac subinde sententiam huic decreto conformem a Sacrae Rotae Tribunali reportarunt, praevia Decisione, quae circumferetur; idcirco praefatus Felix Perez supplicem Sanctissimo Domino Nostro porrexit libellum, quo exponens, se usque ab anno 1729 ab Archiepiscopo Burgensi, qui tunc Tarracconensem Eccles. regebat, fuisse ab Ecclesia Rocchefortis ad d. parochialem translatum sub conditione, quod posset in loco de la Riera intra

limites suae parochiae existente residere, quin teneretur in Oppido de Tamarit aëris intemperie infecto commorari, ob hujus peculiaris circumstantiae momentum humillime petiit obtinuitque causae cognitionem, praevia illius avocatione a Sacrae Rotae Auditorio, ad supremum hunc consessum remitti.

Jussus itaque Archiepiscopus Burgensis Sac. Congreg. de statu hujus controversiae edocere literis suis sub mense Aprilis mox elapsi anni datis retulit, se ab Ecclesia Roccafert ad saepedictam parochiam promovisse praefatum Felicem, ut haud vulgares ejus dotes remunerarentur, deindeque ita subdit: „At vero timui, non admisurum, si cogere ibidem commorari; erat enim constans et longa experientia certissimum, illud caelum grave fore, siquidem fere singulis quibusque annis unus vel alter morbus suos Incolas infestabat, ita ut vel ipsorum non paucos compulerit etiam natale solum deserendo commigrare; quapropter durum admodum visum fuit mihi, si premerem rectores virtute, literis et prudentia praestantiores, ut ibi necessario essent, ubi hac quasi fatali necessitate, ita dixerim, mortem immaturam sibi prudenter timerent, praesertim cum ego ipse expertus fuisset, Marium Cortes, quem ex meritis eligi in illam Ecclesiam, intra annum e vivis excessisse, tametsi aetate et viribus vel robustissimus foret et non multum absimile accidit praedecessori ipsius viro doctori optime merito Laurentio Gaso; qui fere semper infirma valetudine vixit: His et aliis experientiis doctus quasi saevitiam judicavi novum rectorem Felicem Peres ad has aerumnas imo ad necem exponere, proptereaque rem ipsam flagitare, ut vel ex charitatis Officio mansionem aliam non ita calamitosam assignarem intra terminos

tamen ipsius parochiae, quae diversis Oppidulis constat, ex quibus unum est Riera, quod nec duo tantum miliaria distat a Tamarit; illud assignavi, ut praesens rector morari posset ad tempus, videlicet durante aëris infirmitate; illius enim in primis caeli temperies benigna est, situs commodior, quippe qui in medio totius parochiae, incolae multo plures, recursum parochianorum Tamarit ad proprium parochum seu rectorem facilius, quandoque illo opus habeant, praecipue cum apud illos perpetuo sit Vicarius, qui, si periculum aut necessitas urgeat, eis praesto subvenire possit, ut pro more faciunt aliae dioecesis Ecclesiae, cui Vicario fas erit a Tamarit exire, cum viderit saluti ejus nocere, ne in morbum incidat, ut reipsa inciderunt non pauci, qui hac de causa e periculo sibi iminenti evaserunt, quod, si opus fuerit, praesens rector instrumentis comprobabit.“

E converso autem modernus Archiepiscopus Tarracconensis itidem hac de re auditus, in ea manens sententia, quod praedictus Felix teneatur in Oppido de Tamarit residere et Sacramenta Incolis ejusdem Oppidi per se ipsum administrare, pluribus argumentis in sua relatione expositis praefatum Oppidum ab impicta vitiosi aëris insalubritate vindicare satagit indeque concludit, haudquaquam licere illius Ecclesiae rectore ab onere in parochialibus aedibus commorandi sese eximere, neque sine magno animarum periculo permitti posse, ut parochi absentia Vicarii ministerio suppleatur.

Praeterea, quae ad rem late deducta fuerunt in memorata Decisione Rotalis, quaeque nomine praefatae communitatis iterum coram Sacra hac Congregatione proponuntur, praestat referre nonnulla decreta ad controversiae decisionem pertinentia. In Ravennaten., cum a Vicario generali



quaesitum fuisset: num parochus teneretur in aedibus parochialis Ecclesiae seu intra limites parochiae residere et an ad restitutionem fructuum esset adstrictus parochus ille, qui nunquam sic resedit, licet eidem parochiali Ecclesiae in Divinis inservierit? Sacra Congr. censuit: „Non teneri, sed cogendum esse imposterum residere in Domo Ecclesiae vel, si Ecclesia eam non habet, in alia propinquiore intra limites parochiae“, ut in lib. 2. decr. p. 110 et seqq.

In Nullius 6. Aprilis 1606 Sacra Congr. his verbis rescripsit ad 1.: „Hujusmodi rectorem debere habitare in aedibus parochialis Ecclesiae, si ipsa aedibus non careat.“ Ad 2.: „Si intra limites parochiae non tamen in aedibus parochialis Ecclesiae habitaverit, fructus tamen facere suos nec in aliam poenam incidere, quam eam, quae praecepto Episcopi ad inhabitandas illum parochiales aedes urgentis contineantur“ ut in lib. 10. decret. p. 148.

In s. Agathae Gothorum 16. Martii 1641 Rescriptum prodiit in haec verba: *Intemperiem et insalubritatem aëris non excusare a residentia*, ut in lib. 16. decr. p. 206.

Saepe vero parochos ob aëris insalubritatem obtinuisse Indultum ad certum tempus non solum commorandi in aedibus non parochialibus, sed etiam residendi extra parochiam, relicto idoneo Vicario, qui illius nomine animarum curam exerceret, constat ex pluribus ejusdem Sac. Cong. Dec. et signanter in Turritana 7. Julii 1703 lib. 53. decr. pag. 325, in Algaren. 19. Aprilis 1704 lib. 54. decr. p. 179, in Lucana 6. Junii 1705 lib. 55. decr. p. 214 et 16. Maii 1716 lib. 66. decr. p. 231, in Bosanen 28. Martii 1716 lib. 66. decr. p. 166.

Partes igitur Eminendarum VV. erunt statuere:

1. *An parochus Villae de Tamarit teneatur residere in aedibus parochialibus Villae et loci de Tamarit, non obstante asserta licentia Archiepiscopi antecessoris residendi in loco della Riera intra limites dictae parochiae? Et quatenus affirmative,*

2. *An et quomodo sit providendum in casu?*

S. C. C. resp. ad 1.: Affirmative; ad 2.: Attentis facti circumstantiis pro concessione Indulti ad Triennium et ad Mentem.

Die 28. Jan. et 24. Mart. 1736.

Vd.: *Resid. Ep. (oblig. etc.); Res. par. (temp. pest.)*

g) Obligatio.

Vd.: *Resid. Ep. (oblig.)*

Propter deputationem Coadjutoris parochus, cui datus est Coadjutor, non poterit abesse a residentia.

M. A. S. Rector Ecclesiae paroch. s. Felicis Universitatis paganorum, licet habeat alios quatuor concuratos, tenetur ad residentiam ad formam S. C. Tr. sess. XXIII. cap. 1. (et sess. 24. cap. 12.) de Refor. Nucerina paganorum. Residentiae.

Die 19. Maii 1708.

*De residentia rectorum ecclesiarum parochialium, quibuscumque indultis, etiam apostolicis, non obstantibus.*

*Pius PP. V. servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Cupientes, pro nostri pastoralis Officii munere, christifidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere et parochialibus Ecclesiis ab earum parochis, prout tenentur, in divinis debite et laudabiliter deserviri, inhaerendo etiam decretis S. C. Trid.,

§. 1. Motu proprio et ex mera deliberatione certaue scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione omnes et singulos rectores pa-

rochialium ecclesiarum, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et praecminentiae fuerint, in quibuscumque regnis, provinciis, civitatibus, dioecibus ac aliis christiani orbis partibus consistentes, qui parochialem Ecclesiam ac canonicatum aut dignitatem, etiam post Pontificalem majorem seu principalem, in quibusvis patriarchalibus aut metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis Ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium ecclesiasticum, etiam quarumcumque dispensationum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris seu etiam a nobis hactenus quomodolibet impetratarum ac literarum apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac praesenti constitutione abolemus et revocamus, seu quocumque alio praetextu obtinent, cum prima et praecipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in Ecclesia parochiali et ibi in divinis deservendum et debito eorum Officio fungendum omnino teneri et obligatos esse ac ad id per Episcopos et aliorum locorum Ordinarios, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatos, sub sententiis et censuris ecclesiasticis ac pecuniariis, arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum parochialium et aliorum quorumcumque beneficiorum poenis, quacumque appellatione remota, cogi et compelli posse et debere auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, praecipimus et ordinamus. Eos tamen sic residentes in Ecclesiis parochialibus omnes et singulos fructus, redditus et proventus, etiam canonicatus sui vel dignitatis seu alterius cujuscumque beneficii, exceptis dumtaxat quotidianis distributionibus et aliis, quae ex justa causa absentes percipere non solent, lucrari volumus.

§. 2. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Pa-

latii Apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cui-libet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, interpretari, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsitan est hactenus vel in posterum contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Datum Romae apud s. Petrum die 8. Julii 1568.

(Bull. r. t. VIII. p. 683. Ed. Aug. Taur. 1862.)

*Gregorius PP. XVI.*

(Dispensatio.)

V. Fr. Ep. Conchensi.

Exponendum Nobis curasti, te vel in tua dioecesi lustranda vel in aliis ecclesiasticis negotiis peragendis virorum opera indigere, qui morum gravitate, prudentiae ac doctrinae laude et religionis studio spectati opem tibi ferre possint. Cum autem eadem tua dioecesis Sacerdotum inopia laboret, ac propterea viros ejusmodi dotibus ornatos inter animarum curatores tantum reperire valeas, idcirco a Nobis postulasti, ut ex Nostra indulgentia potestatem tibi tribuere velimus, cujus vi, cum opus fuerit, parochos a residendi lege solvere valeas, quo tibi praesto esse possint.

Nos itaque tuis votis annuere volentes teque peculiari benevolentia complectentes hisce literis auctoritate Nostra apostolica tibi, venerabilis Frater, facultatem facimus atque impertimur, cujus vi, donec Conchensis Episcopus fueris, pro tua conscientia et arbitrio, prout necessitas postulabit, tuae dioeceseos parochos, quos magis idoneos existimaveris, ad tempus tantum a residendi lege solvas eorumque opera vel in dioecesi lustranda vel in aliis ecclesiasticis negotiis conficien-



dis licite et libere utaris, ullo absque parochialium eorum redituum detrimento. Id tamen ea lege concessum volumus, ut quo tempore parochos a propriis paroeciis abesse contigerit, earundem parochialium ecclesiarum servitio omnino consulatur.

Haec concedimus atque indulgemus non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis atque in universalibus, provincialibus synodalibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon cujusque parochialis Ecclesiae etiam juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 10. Januarii 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 300.)

(Conc. Tr. cap. 2. sess. 6.; cap. 1. sess. 23. De Ref.)

Nucerina.

Postquam Matthaeus Angelus Scalfati Rector parochialis Ecclesiae s. Felicis hujus civitatis de Jurepatronatus laicali per plurium annorum spatium usque ab anno 1677, quo fuit de dicta parochiali provisus, summa sollicitudine et pietate animarum Curae incubuerit, a multis tamen abhinc

annis, sumpto praetextu, quod dicta Cura sit habitualis quodque actualis exerceri debeat per quatuor alios concuratos, exindeque ipse non teneatur residere, a praefata Ecclesia abesse coepit et assiduam fere moram in civitate Neapolis usquemodo perduxit. Hinc Episcopus instante communitate laica antedictae civitatis decrevit appositionem oeconomi pro exercitio Curae animarum, a quo decreto, interposita appellatione ad A. C. per supradictum rectorem, ac recurrense contra ipsum eadem communitate ad hanc S. C., fuit ad eandem subinde causa remissa a R. P. auditore Sanctissimi.

Requisita autem desuper informatione Episcopi, idem post confirmatam ejusdem rectoris sedulitatem in antea actis annis in exercitio curae, constanter asserit eandem curam actu semper fuisse in rectoribus ejusdem Ecclesiae; et licet tempore procedente fuerint eidem adjuncti quatuor Coadjutores Curati, qui sustentantur partim ex redditibus ab ipsa rectoria dismembratis partim vero sumptibus d. communitatis propter excretum animarum numerum usque ad 4500, nihilominus subdit informans, nequam reperiri sive ex Indulto Apostolico sive ex consuetudine, fuisse nunquam d. curiam abdicatam a proprio rectore et totam translata in dictos concuratos. Quapropter indubitanter censet modernum rectorem fore ad residentiam compellendum. Partibus itaque monitis superest, ut EE. VV. ex deducendis non graventur decidere bina infrascripta dubia concordata:

I. *An rector parochialis Ecclesiae s. Felicis universitatis paganorum teneatur ad residentiam ad formam S. C. Tr. sess. 23. cap. 1. de Ref. vel quomodo?*

II. *An decretum emanatum a Rmo Episcopo super appositione oeconomi pro exercitio curae animarum in absentia moderni rectoris a praefata Ecclesia sustineatur in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad I.: *Affirmative; ad II.: Affirmative et procedat ad formam Concilii et amplius.*

Die 19. Maii 1708.

*Ad dubium:* An, ubi est laicus, qui Clericos grammaticam doceat, si presbyter ad paroch. Eccles. a civitate duo miliaria non distantem deputetur, qui tamen suae parochiae diebus festis inservit, a residentia excusetur, de qua sess. 23. cap. 2. de Refor.?

S. C. C. censuit: *Non excusari. Decisio S. C. C. Interpr. ad Conc. Tr. cap. 1. sess. 5. ad verba: Grammaticam gratis docent.* (Ed. Gallemart. 1616 p. 23.)

*Ad dubium:* An si aliqua parochia sub tanta coeli inclementia constituta sit, ut nemo nisi indigena in eadem Sede absque vitae discrimine immorari possit, alibi degere rectori liceat?

S. C. C. resp.: Non posse. Si tamen rector infirmus esset et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel medicinarum, tunc posse ab Ordinario dari licentiam 3 vel 4 mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa,posito interea ab ipso Ordinario in parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus ejusdem parochiae. Anno 1573 *Rhegien.* (Ex l. I. decr. p. 51 rel. a Bened. XIV. Instit. XVII.)

Die 10. Sept. 1576 facta SS. relatione in Consistorio S. S. decrevit, scribendas simpliciter literas ad Card. s. Praxedis (i. e. s. Carolum Borrom.) quibus significatur: *Parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis Eccles. par., posse tamen per alium*

idoneum ministrare parochianis suis peste infectis Sacramenta baptismi et poenitentiae. (Rel. Bened. XIV. De Synodo dioec. XIII. 19.) *Aëris intemperiem non excusare parochum a residentia.*

Die 7. Julii 1646. (Ex l. XVIII. decr. p. 164 rel. a Bened. XIV. Instit. XVII.)

Nec aetatem senilem nec malam valetudinem excusare parochum a residentia personali. (Rel. ab eodem *ibidem* ex l. XVIII. decr. p. 329.)

Card. Episcopus Portuensis in relatione status suae Ecclesiae exposuit, parochos suae Ecclesiae ex immemor. consuetudine fere omnes, ut plurimum aestivo tempore, obtenta ab Ordinario licentia ac idoneo pro animarum cura Sacerdote deputato, ne cum majori parte incolarum parochiae ob veneficum aërem mortem subire cogantur, 4 mensibus a suis Ecclesiis abesse consuevisse.

Ad hoc S. C. resp.: Arbitrio Cardinalis Ep. ad decennium et in reliquis detur decretum ut in *Algarensi.* Die 8. Aug. 1771.

*Decretum Algarensis.*

Pro gratia ad quatuor menses aestivos currentis anni tantum, comprehensis conciliaribus, arbitrio Episcopi, cum oblig. commorandi in locis parochiae proximioribus non infectis aëris intemperie, quatenus ex iis in occurrentibus solemnitatibus vel necessitatibus sine detrimento propriae valetudinis accedere possit orator ad consulendum parochianorum indigentis, deputato idoneo Vicario ab Ordinario approbando, qui resideat et curam animarum ac Sacram. administrationem laudabiliter exerceat.

Quum parochus quidam petisset ut a residentia eximeretur „*stante parvo munero familiarum*“, cui vicinus pa-



rochus supplebit, S. C. C. resp.: Non annuendum.

Die 3. Oct. 1671.

(Ex l. XXVII. decr. p. 229 rel. a Bened. XIV. Institut. XVII.)

#### Calaritana.

Antiochus Ignatius Garau rector parochialis Ecclesiae locorum Senorbi et Arixi Calaritanae dioecesis preces obtulit Sacrae huic Congregationi, quibus postulabat, ut a residentiae onere dispensaretur mensibus aestivis ob insalubrem parochiae aërem sui-que corporis gracilitatem. Auditus de more Archiepiscopus retulit, tantam esse in eisdem locis coeli inclementiam, ut medicorum iudicio nequeat Orator, corpore gracilis, ibi morari mensibus aestivis et autumnalibus sine evidenti vitae discrimine.

Sed censet Archiepiscopus aëris intemperiem non excusare parochum a residentia juxta sententiam hujus S. C., quam referunt *Fagnan.* in cap.: Clericos n. 36. in fin. de cleric. non resid., *Garz.* de benef. part. 3. cap. 2. n. 179. vers. quarto, et san. mem. *Bened. XIV.* instit. Eccles. 17. n. 14.

Quaerente porro Episcopo Regiensi: *utrum rector Ecclesiae parochialis posset alibi degere, si parochia sub tanta coeli inclementia constituta sit, ut nemo, nisi indigena, in eadem Sede sine vitae discrimine immorari possit?* S. C. anno 1573 respondit: „Non posse. Si tamen rector infirmus esset et in loco parochialis curari non posset defectu medicorum medicinarumve, tunc posse ab Ordinario dari licentiam trium vel quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa: posito interea ab ipso Ordinario in parochiali idoneo Vicario, cum congrua portione ex redditibus ejusdem parochialis“, ut in lib. 1. decret. p. 52.

Et rursus in una Nicen. 4. Augusti 1646 rescipit: *Aëris intemperiem non excusare parochum a residentia, ut in lib. 18. decr. p. 164.*

Digna quoque coërcitione illi videtur licentia eorum, qui haud ignorantes vitium aëris, plus minus afficiens omnia fere dioecesis Oppida, parochias ultro appetunt et accipiunt: atque illarum opulentia vel deliciis civitatis, in qua studiis incubuerunt, molliores effecti, quam in patrio solo veriti non fuissent coeli inclementiam, eam adeo reformidant in parochiis, ut commendata animarum cura Presbyteris indigenis aestivos et autumnales traducant menses in cultiori Urbe, despectis locis finitimis purioris aëris, ubi morantes possent aliquando suas Oves sine periculo invisere.

Orator autem defendit, plurium doctorum non deesse sententiam, qui putant, aëris inclementiam parochos excusare a residentia, ut refert *Fagnan.* in d. cap.: Clericos n. 35. de cler. non resid., quorum forsitan opinionem sequuti antecessores Archiepiscopi ipsi veniam parochis indulgebant, ut in civitate morari possent aestivo et autumnali tempore, juxta testimonium Viri Sacerdotis in Summario impresso circumferendum. Et contrariam hujus S. C. sententiam autumat procedere, ubi nullus inveniretur, qui curae animarum onus vellet assumere, cum tunc datum non esset parochis Gregem deserere, sed tenerentur: „dare animam suam pro Ovis suis“, vel intelligendam esse in eo sensu, ut parochi nequeant propria autoritate aut de licentia solius Episcopi abesse ultra tempus a Sac. Conc. permissum, non autem ut a Sancta Sede et ab hac Sac. Cong. indulgeri non debeat facultas longioris absentiae, cui legitimam praebet causam aëris intemperies, ut probant frequentissima decreta hujus Sac. Cong.,

tum priscis tum recentioribus temporibus singulis annis, cum sola limitatione indulti ad quatuor menses aestivos edita; licet hoc anno, ad consulendum exactiori curae animarum administrationi et ad excitandam parochorum sollicitudinem, parochis locorum ad alias Sardiniae dioeceses pertinentium, laethali aëris intemperie infectorum, dari coeperint hujusmodi indulta, juxta subjectam formam, de qua in una Algaren. 13. Martii proxime praeteriti hisce verbis: „Pro gratia ad quatuor menses aestivos currentis anni tantum, comprehensis conciliaribus, arbitrio Episcopi, cum obligatione commorandi in locis parochiae proximioribus non infectis aëris intemperie, quatenus ex eis in occurrentibus solemnitatibus vel necessitatibus, sine detrimento propriae valetudinis accedere possit Orator ad consulendum parochianorum indigentis, deputato idoneo Vicario ab Ordinario approbando, qui resideat et curam animarum et Sacramentorum administrationem laudabiliter exercent.“

Erit itaque ab EE. VV. definiendum:

*An liceat Antiocho Ignatio Garau parochio Oppidi de Senorbi et Arixi tempore aestivo et autumnali ob aëris intemperiem discedere ab eisdem locis, subrogato tamen Vicario idoneo pro animarum cura, in casu?*

S. C. resp.: Negative et detur decretum ad formam Algaren.

Die 8. Maii 1762.

#### h) Intra parochiam.

Parochus non excusatur, quin intra parochiam residere debeat, quamvis non adsit commoda domus parochialis et sit magna aëris intemperies et retineat capellanum in parochia et ipse accedat singulis diebus festis. S. C. C. in *Sarzanen.* 13. Nov. 1627. Parochus cogendus est habitare in Domo Ec-

clesiae vel si Ecclesia eam non habet, in propinquiori intra limites parochiae. S. C. C. in *Fulginaten.* 19. Nov. 1718 et 13. Jan. 1720, in cujus casu nulla habita fuit ratio contrariae observantiae per annos 43, nec aetatis parochi, qui erat annor. 70. Quod si non habitaverit, tenetur ad restitutionem fructuum, de quibus in Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de Refor. Sic S. C. C. apud *Garciam.*

Parochus ex alio loco oriundus non potest propter intemperiem aëris extra parochiam habitare, quamvis in ea relinquat Vicarium approbatum. S. C. C. testibus *Zerola* in praxi Episcop. part. 1. verb.: *Residentia* §. 7., *Barbosa* de Off. et potest. parochi. part. 1. cap. 8. n. 13., *Armendar.* in addit. ad recopilat. legum Navarrae l. 2. t. 23., l. 2. §. 2. sub titulo: An parochi debeant residere? Nisi accedat Ordinarii consensus ex justa causa; ibid. n. 180.

Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis parochialibus; possunt tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis Sacramenta baptismi et poenitentiae, et si non residerent, contra eos procedendum est, servata forma cap. 1. in fine sess. 23. de Reform. S. C. C. in *Mediolanen.* 10. Oct. 1576 apud *Barbosam* l. c. in summa n. 16., *Bened. XIV.* de *Synod. dioec.* lib. 13. cap. 19. §. 2. nov. edit.

Parochus absque legitima causa et licentia non residens in sua parochia praeter culpam mortalem, quam incurrit (nisi modicitas temporis absentiae eum excuset, uti limitat *Fagnan.* in cit. cap.: *Relatum* 4. de Clericis non residentibus n. 41.) pro rata absentiae fructus non facit suos et eos restituere tenetur, sic expresse statuit Conc. Trid. cit. sess. 23. de Ref. cap. 1. §.: *Si quis autem*, ibi: „Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decr. disposi-